

*A. de V. Bernard
le m. m. respectueux
de l'éditeur*

DE HERCULE TRAGICO
DEQUE HERACLIDARUM
TETRALOGIA AESCHYLEA

scripsit

THADDAEUS ZIELIŃSKI.

WYDANE Z ZASIŁKU MIN. W. R. i O. P.
EDITUM AUXILIO MIN. INSTRUCT. PUBL.

Seorsum impressum
ex comment. philolog.
Eos XXV 1921—1922.



151553

LEOPOLI 1922
SUMPTIBUS POL. SOC. PHILOLOGAE.

DE HERCULE TRAGICO DEQUE HERACLIDARUM TETRALOGIA AESCHYLEA

scripsit

THADDAEUS ZIELIŃSKI

I.

Herculem vere tragicum ab Euripide demum scaenae Atticae redditum esse illi asseverare solent, qui Wilamowitzio auctore poetae illius fabulam cognominem Sophoclis „Trachinias“ praecessisse credunt. Cui temporum rationi cum ante hos 26 annos (Philol. 1896) contrariam opposuissem, quam cum aliis tum PETERSENO nuper probatam esse gaudeo, etiam in Hercule tragico effingendo prioritatis laus ad Sophoclem transitura esse videbatur.

Utrumque autem falsum esse iamdudum intellexi; falsam ante omnia religionem illam, qua homines praestantissimum Graecorum heroa utpote voracem et libidinosum et comicae scaenae aptiorem in tragoedia evitatum esse sibi persuaserunt. Postquam nim in deperditarum fabularum mythopoeiam inquirere coepi, quam operam a decem fere annis inchoatam ne nunc quidem ad certum finem perduxi, vidi iam ante et Euripidem et Sophoclem genuinam divini salvatoris imaginem Atheniensium reverentiae propositam fuisse idque ab eo poeta, quo nemo altius in antiquae mythologiae arcana penetravit. Neque id nunc premere velim, eum in trilogia „Thebaide“ parallela, quam propterea „Argiadem“ appellavi quamque cum alii tum Wilamowitzius „Nemea“ „Argivis“ que et „Eleusiniis“ constituisse opinantur, Herculem honoris causa inductum fuisse ut pietatis vindicem contra Thebanorum libidinem — neque enim in ipsa scaena res acta esse videtur. Illud dico asperam illam herois moribundi maiestatem, quam Sophocles „Trachiniis“ informavit, iam ab Aeschylo praeceptam fuisse et id quidem dramate, quod nemo adhuc quod sciam Herculis Oetaei mythopoeiae vindicavit. Id ipsum in eis quae sequuntur demonstraturus sum.

II.

Inter incertorum poetarum fragmenta legimus hoc (adesp. 126 N.):

ποι μεταστρέφουσ', ὦ κακοί
κἀνάξειοι τῆς ἐμῆς σποράς,
Αἰτωλίδος ἀγάλματα μητρός;

quod a citationis auctore Dione Chrysostomo his verbis inducitur:
τὸν γοῦν Ἡρακλέα φασίν, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο ἰάσασθαι τὸ σῶμα ὑπὸ νόσου δεινῆς κατεχόμενον, τοὺς υἱοὺς καλέσαι πρώτους κελύοντα ὑποπρῆσαι λαμπροτάτῳ πυρὶ τῶν δὲ ὄκνοντων καὶ ἀποστρεφομένων, λοιδορεῖν

αὐτοὺς ὡς μαλακοὺς τε καὶ ἀναξίους αὐτοῦ καὶ τῇ μητρὶ μάλλον εἰκό-
 τας, λέγοντα, ὡς ὁ ποιητὴς φησι κτέ. De „poetae“ huius nomine fru-
 stra desperasse mihi videntur viri docti; ne quis enim e. g. de
 Spinthari Ἡρακλεῖ περικαιομένῳ cogitet, satis est monuisse Dionis
 Chrysostomi lectionem tragicam non ultra classicum quem dici-
 mus triumviratum processisse. Quae ratio ipsa per se in rhetore
 probabilissima si quis Quintiliani de legendis tragoediis praecepta
 perpenderit, ipsis tragicorum locis a Dione laudatis abunde ap-
 probatur.

Necesse igitur est aut ab Aeschylo aut ab Euripide — nam
 Sophoclea nobis praesto sunt — mutuatus sit Dio Hercules illam
 invocationem; cum autem Euripides nusquam de Hercule mori-
 bundo egerit, eadem necessitate urgente ad Aeschylum redigi-
 mur. — At ne Aeschylum quidem Herculem moribundum in scae-
 nam induxisse constat. — Constare sane video, num tamen iure,
 ex eis quae iam dicturus sum apparebit.

III.

Id enim primo statim obtutu patet poetam nostrum, quis-
 quis ille fuit, Herculem suum Heraclidarum agmine circumdedisse.
 Quod idem etiam Sophoclis antecessorem fecisse ex duobus „Tra-
 chiniarum“ locis efficitur inter eos referendis, quos ego nomine
 latinobarbaro, sed tamen necessario, „rudimentales“ appellavi.
 Quorum prior in nutricis oratione exstat (v. 54): πῶς παῖσι μὲν
 τοσοῖσδε πληθύνεις... quos omnes matri praesto fuisse ex illa quae
 sequitur Hylli electione sponte colligitur. Haec igitur est „loci
 originarii inconscia traductio“; nam secundum ipsius Sophocleae
 fabulae mythopoeiam unus ex Heraclidis Hyllus tunc temporis
 Trachine commorabatur. Alterum autem locum Hercules iussum
 exhibet v. 1147: κάλει τὸ πᾶν μοι σπέρμα σῶν ὀμαιμόνων, cui Hyl-
 lus respondet ceteros Heraclidas partim Tirynthe partim Thebis
 domicilium habere, satis inverisimiliter utrumque. Haec igitur ut
 „propositio repudiata“. Ex ambobus autem secundum rudimento-
 rum artem, de qua alibi acturus sum, sequitur Sophoclis anteces-
 sorem, ut iam praemonui, Heraclidarum agmen patri responden-
 tium induxisse. Qui quoniam singuli cum eo colloqui non pote-
 rant, chorum tragoediae effecisse putandi sunt.

Iam cum inter deperditas Aeschyli fabulas etiam ea fuerit,
 cui index erat Ἡρακλεῖσαι (fgm. 74. 77 N.), quis tandem dubitabit
 quin ea ipsa Sophoclis fuerit fabula exemplaris — ita enim dice-
 re libet — eique reddendi sint versus a Dione Chrysostomo
 excerpti?

IV.

Aeschyleam artem non aspernatam esse chorum ex herois
 liberis compositum, ne longius abeamus, „Supplices“ demonstrant;

hac igitur ex parte tuta est coniectura nostra Herculis pyram oculis spectatorum subiectam fuisse — in illo ipso ni fallor suggesto positam, quod etiam Promethei scopulum Thebanorumque et Argivorum *κοινοβωρίαν* repraesentabant — nemo Alcmenae Euripideae memor mirabitur. Trux tamen moribundi in coniugem oratio habet sane, quo mentem nostram percellat. Non quo non asperiora etiam in „Trachinis“ ab eodem illo iactentur; cum tamen illic in *εὐπωλίῳ* invehitur summo corporis dolore affectus, facit hoc antequam a filio de innocentia eius edoceatur; postea vero ignoscit innocenti, ita sane ut nullam eius amplius mentionem faciat. Apud Aeschylum autem usque ad ipsum rogam irreconciliatum ei animum servavit.

Sequitur inde apud eum innocentem non fuisse Deianiram, sed revera, ut iniuriam sibi oblatam ulcisceretur, mortiferum pallium marito misisse. Quod si cui parum credibile videbitur, reminiscatur oportet, nos eam Deianirae imaginem quam nostro iure amamus, uni Sophocli debere, Deianiram autem antesophocleam, itidem ut Oedypum antesophocleum vel Iphigeniam ante-euripideam, asperiora esse potuisse. Ita sane fuit: certior facta de paelice impotens mulier venenum, non philtrum marito misit, non ut amorem sibi eius restitueret, sed ut proditiois eum poenam pati cogeret.

Quod et ipsum rudimentali loco approbare possumus. Apud Senecam enim in Hercule Oetaeo (v. 256 sq.) Deianira, valde illa quidem Sophocleae dissimilis, post paelicis adventum mortem marito meditatur, a qua sententia eam nutricis demum admonitio deflectit. Habemus igitur apud posteriorem poetam „consilium irritum“, tertium rudimentalium genus.¹⁾

Iam quid postea cum Aeschylea illa Deianira factum sit certo dicere non possumus: utrum ipsa sibi, postquam ira deferbuit, mortem consciverit, an ab Hyllo, quin etiam ab ipso Hercule vita sit orbata, nemo ex antiquioris fama vestigiis colligere audebit.

V.

Ceterum vix credo dubituros fuisse viros doctos, quin „Trachiniarum“ argumentum „Heraclidis“ suis praeceperit Aeschylus, nisi propter indicem sibi persuasissent eandem eis fuisse cum Euripidea fabula cognomine materiem.²⁾ Nunc vero disperso errore etiam ex fragmentis idem sequi approbare possumus. Quam-

¹⁾ Corrueret haec ratiocinatio, si recte se haberent quae T. de Wilamowitz (Die dram. Technik d. Sophokles 99) de novo Hesiodi fragmento (Berl. Klassikert. V. 1, 22) refert, scil. ibi *φίλτρον* Deianirae mentionem distingui posse. Sed in hac re memoria eum fefellisse videtur; in fragmento enim illo non *φίλτρον*, sed *φάρμακον* certa coniectura restituitur.

²⁾ Wilamowitzius sane hanc Welckerianam sententiam argumentatione confirmare temptavit (De Eurip. Heraclidis p. XV.) ex Plutarchi De Stoicorum absurdis 2 (p. 1057 E) petita. Is enim „sapientem“ illum Stoicum cavillatur

vis enim lubrica sit haec *progradiendi via*, tamen quivis concedet laborum Herculis praedicationem, qualem fgm. 74 continet, optime moribundo accommodari — eundem enim *στέφανον μόχθων* etiam in Euripideο „Hercule“ habemus. (v. 348 sq.) Tum fgm. 75 *ὄν γάρ τι μείζον ἄλλο τοῦδε πείσομαι* ipsum quoque moribundo Herculi accommodatissimum est: potest enim ex oratione petatum esse, qualis in „Trachinis“ v. 1143 sq. extat. Obiter moneo Herculem multarum uxorum maritum fgm. 76 *ἀμφιμήτορες* supponi, quod genealogorum commentum licet respuerit Sophocles, tamen — quod quartum est locorum rudimentalium genus — in Deianirae „fictione“ apud ipsum quoque recurrit (v. 459 sq.).

Sed haec minoris sunt momenti; quaeritur num de „Heraclidarum“ argumento etiam alia nucleari possint. Qua in re nos illa, quam supra commemoravi, „propositionis repudiatæ“ ratione haud sane mediocriter adiuvari posse spero. Si enim ex Trachiniarum v. 1147 sq.:

κάλει τὸ πᾶν μαι σπέρμα πῶν ὀραιμόνων
κάλει δὲ τὴν τάλαιναν Ἀλκμήνην, Διὸς
μάτην ἄκοιτιν...

recte supra (§ III) collegimus Sophoclis antecessorem Heraclidas universos in fabulam suam induxisse, eodem iure etiam Alcmenam ab eo inductam fuisse asseverare possumus. Quod ne ipsum quidem approbatione caret; nam etiam apud Senecam in „Hercule Oetaeo“ Alcmena in scaenam prodit. Nec sane inutilis eius est opera: nam et filio (v. 1337 sq.) fortis consolatricis assistit, et Hyllum nepotem (v. 1427 sq.) nimio dolori indulgere vetat, et ad ipsum rogum (v. 1739) digna filio mater stat, et peremptum urna (v. 1757 sq.) et funebri planctu (v. 1863 sq.) honorat, et in caelum recepti (v. 1944) felicem accipit vocem.

Sed apud hunc eundem Senecam etiam errores suos praesagientem habemus Alcmenam (v. 1782 sq.):

• Quas petam terras anus
Invisa saevis regibus?...

Eos vero errores cum Heraclidarum fati coniunctos fuisse ex Euripidis fabula scimus. Quod si probe perpensaverimus, facile intellegemus utrumque, cur et Aeschylus Heraclidas cum Alcmena

ad „Iolaum Euripideum“ provocans ex sene iuvenem factum; ita etiam Stoicus sapiens cum heri turpissimus fuerit, subitanea metamorphosi „ut Aeschylus dicit, ἐξ οσφραλγῶδς κῶδωνοσπάδος λογρῶδ γέροντος in formosum divinumque convertitur.“ Negat his verbis Wilamowitzius quemquam apud Aeschylum nisi Iolaum indicari; quod etiamsi concedendum esset, non continuo „Heraclidarum“ tragoedia in quaestionem veniret, sed alia Heraclideae trilogiae fabula. Mihi tamen attente Plutarchea perlegenti omnino non probabile videtur Iolai metamorphosis apud Aeschylum locum habuisse; cur enim, si apud Aeschylum eam legisset, eius verba allaturus ad Euripideum Iolaum provocasset? — At de *ἀνανεώσει* haud obscure loquitur. — Credo; sed ea satyrici quoque dramatis *Διανόστου τροφῶν* argumentum praebuerat, in quo Medea arte sua his Bacchi nutricibus et eorum maritis (fgm. 50 N.) iuventutem restituebat. Non igitur Iolaus illis Aeschyli verbis significabatur, sed Silenus.

Herculeae mortis testes induxerit, et Sophocles aviam cum nepotibus Tirynthem relegaverit: huius enim „Trachiniae“ absolutam efficiebant fabulam, illius „Heraclidae“ primam trilogiae tragoediam.

VI.

Hoc enim prae fracte asseverandum est unam quamque Aeschyli tragoediam, nisi contrarium sit probatum, argumenti nexu cum ceteris eiusdem trilogiae fabulis coniunctam fuisse; quam regulam post Welckeri curam a multis contemptam ne quis parvi momenti habeat, digitis saltem computet quotaquaque fabula, quae quidem ex notis sit trilogiis, hoc nexu orbata fuerit.

Quod si recte positum est, quaeritur iam, quae ceterae „Heraclidae“ trilogiae fabulae fuerint. Non quo de argumento ulla excitare possit dubitatio: in propatulo enim est post Herculis mortem, quam in „Heraclidis“ tractasse vidimus poetam, ipsorum Heraclidarum fata spectatoribus monstrata esse, qualia postmodo Euripides „Heraclidis“ suis expressit. Ea ipsa tamen utrum uni an duobus tragoediis argumentum praebuerint quaeritur; quaeritur etiam quibus indicibus hae tragoediae insignitae fuerint.

Iam pridem egi de hac re in dissertatione mea rossice de „Ara Misericordiae“ conscripta, quam „Heraclidarum“ versioni rossicae ab Innocentio Anneński confectae praemisi; ex qua hic summa tantum excerptare libet.

1. Apud Euripidem Copeus dum Heraclidas invitos abducere conatur, tantam Demophontis regis iram commovet, ut aegre mortis periculum devitet (v. 270 sq.):

ΔΗΜ. κλαίων ἄρ' ἄψη τῶνδε κοῦκ ἐς ἀμβολάς.

XOP, μὴ πρὸς θεῶν κήρυκα τολμῆσης σθενεῖν.

ΔΗΜ. εἰ μὴ γ' ὁ κήρυξ σωφρονεῖν μαθήσεται.

XOP. ἀπελθε καὶ σὺ τοῦδε μὴ θίγης, ἀναξ.

Quae fama fore ut latius serpat anxius futuri idem chorus providet (v. 294 sq.):

πόσα νιν λέξειν βασιλεῦσι δοκεῖς,

ὡς δεῖν' ἐπαθεῖν καὶ παρὰ μικρὸν

φυγῆν ἦλθεν διακναῖσαι.

Re vera autem locum rudimentalem habemus eius generis, quod supra „consilium irritum“ diximus. Occisus est enim Copeus propter scelus in supplices patratum, quod nefas ut lueretur sancitum est in posterum, ut ephēbi Athenienses pompam Cereris Eleusinae sordidati exequerentur; et permansit hic mos usque ad Herodis Attici tempora, qui primus a. 160 post Chr. n. sublata vetere infamia candida pallia adulescentes induit (Philostr. V. Soph. II 1, 5 p. 550), cum antea pullis induti ecclesiam circumdarent et pompas exequerentur: πενθοῦντων δημοσίᾳ τῶν Ἀθηναίων τὸν κήρυκα τὸν Κοπρέα, ὃν αὐτοὶ ἀπέκτειναν τοὺς Ἡρακλείδας τοῦ βωμοῦ ἀποσπῶντα.

Hoc testimonio allato Wilamowitzius (De Euripid. Heraclidis [1882] XIV n.) ita pergit : *atque hoc quidem* (h. e. Herodis novatio) *titulis confirmatur CIA III 5. 1132, illud* (h. e. Philostrati ratiocinatio) *recens videtur commentum, quod invidia peperit non nimis scita : quid enim Cereris sacra ad Heraclidas ? Commemoramus haec, cum suspicari quispiam possit Euripidem ea respicere, qui de praecone haec habet : πῶσα νιν λέξεν κτέ. ; quae explicationem nobis videtur aliam admittere alias proponendam.* Steteritne auctor promisso nescio ; in Excursibus sane (Hermes XVII 1882, 337 sq.) hanc quaestionem non tetigit.

Ex duobus titulis, quos conferri iussit, prior nihil quod memorandum sit affert, posterior autem ephebos enumerat Sexto Phalereo archonte a. 160 candidatos „splendido beneficio honestissimi summi sacerdotis (Augustorum, ut alii tituli demonstrant) Tib. Claudii Herodis Marathonii. Proedro rogante, cui placeret ephebos candidatos procedere eò die, quo exercitus pompam Eleusinem duceret, cuive non placeret, cui non placeret inventus est nemo.“ Cum igitur de Eleusinia pompa agatur, quaerenti Wilamowitzio, quid Cereris sacra ad Heraclidas, statim respondebo ; prius tamen explicare conabor, quo iure Herodes veterem Eleusiniorum caerimoniam novaverit. Fuit enim Herodes, ut ex IGS I 1389, 32 colligimus, ex Eleusinio Cerycum genere idemque, ut Eleusinius apud Dittenberg. 389 titulus docet, exegetae munere fungebatur Eleusini haud dubie vel, ut technice loquamur, ἐξηγητοῦ κατὰ τὰ πάτρια τῶν Ἐβρολπιδῶν. — Cum igitur sacri Eleusiniorum iuris interpret fuerit, potuit decernere, ceteris fortasse Cerycibus in consilium adhibitis, Coprei animam iam abunde placatam esse plus quam millenni expiatione.

Nunc vero reminiscendum est Copreum ipsum quoque κήρυκος munere functum esse. Nece eius fieri non poterat quin Mercurii ira excitaretur, Κηρύκων Eleusiniorum generis auctoris ; potueruntne Κήρυκες eam neglegere ? Cum Sparta Persarum praeco occisus esset, ira erupit heroici praekonum patroni Talthybii, à quo originem ducebant Spartanorum praecoēs Talthybiadae, quo factum est ut nulla iam Spartanis evenirent felicia proeliorum auspicia (καλλιερήματα), donec ex consilii decreto Sperchias et Bulis sese pro occiso Persarum regi ad sacrificium offerrent (Herodt. VII 134). Auctores rogationis Talthybiadas fuisse, quorum id maxime intererat, etiam silente Herodoto consentaneum est.

Iam ad Wilamowitzii interrogationem respondere possumus : Quid Cereris sacra ad Heraclidas ? Ad Heraclidas quidem nihil, multum tamen ad praekonem propter Heraclidas violatum. Non igitur recens commentum nobis servavit Philostratus invidia plus quam mirifica partum, sed veram veteris infamiae causam ; eam autem ab Aeschylo obscuratam non esse consentaneum est, quippe cui, ut Cereris Eleusinae alumno, iniuriae eius summae curae fuerint.

Susplicari igitur licet Euripidem primum Atheniensium nefas ita mitigasse, ut Copeum non occisum esse, sed in mortis periculum venisse fingeret, cum in tragoedia praecedente mera et indebitata de morte eius deque Atheniensium poena locum habuerit fama; quae suspicio tamen eis quae iam dicturus sum magnopere firmatur.

2. Ud. de Wilamowitz cum in disputatione sua modo collata multa luce tragoediam nostram illustrasset, illud minus feliciter mihi egisse videtur, quod Macariae sacrificium ab ipso demum Euripide inventum esse dicit. Video hoc ab eadem subtilitate profectum esse, qua etiam Car. Robert nuper in „Oedipo“ suo Menoecei sacrificium ab eodem Euripide excogitatum esse posuit; quod quam futili ratiocinatione nitatur apud ipsum cui opus fuerit leget; de Macaria vero optimo iure Wilamowitzio respondit H. Weil (Etudes sur le drame antique 123) non tam fictum esse ab Euripide sacrificium eius quam secundum morem ipsius — prona enim sunt Polyxenae Iphigeniaeque exempla — ex necessario voluntarium redditum. Conferri enim iubet quae ad generosum puellae propositum respondet Iolaus (v. 544):

πάσας ἀδελφὰς τῆσδε θεῶρο γρή καλεῖν,
καὶδ' ἢ λαχοῦσα θνησκέτω γένους ὕπερ:

quam pusillanimam rationem ita refellit illa:

οὐκ ἂν θάνοιμι τῇ τύχῃ λαχούσ' ἐγώ·
χάρις γὰρ οὐ πρόσεστι· μὴ λέξῃς, γέρον.

Acute inde concludit Weilius, collato notissimo Electrae exemplo, non tam Iolaum a Macaria redargui, quam ab ipso Euripide antecessorem eius — Aeschylum igitur, si vera sunt quae supra disputavi. Hanc ego viri doctissimi ratiocinationem libenter amplector: vides enim etiam hic locum subesse rudimentalem eius generis, cui „dissimulatae invectivae“ nomen dedi. Aeschylum igitur ita rem instituisse apparet, ut propter virginis sacrificium imperatum Herculis filiae sortitionem subire cogerentur, Macaria autem non sua sponte, sed sorte designata vita orbaretur.

Qua cum ratione optime conciliatur de Apollodoro pictore testimonium, qui inter Heraclidas in Porticu Picta etiam „Herculis filiae“ locum dedisse dicitur. Quae res etiam Wilamowitzio dubitationem movisse videtur: antiquissimum enim hic agnoscit artis pictoriae ab Euripide pendentis exemplum. Sed nihil est causae cur ad parum verisimilia delabamur: non enim Euripidem, sed Aeschylum a celeberrimo pictore expressum esse vel inde sequitur, quod scaenae ab eo pictae nulla similis apud iuniorum poetam extat.

3. Quod si cui etiam nunc scrupulus aliqui in mente remanserit, spero eum tertia, quam allaturus sum, ratione cognita manus daturum esse. Imperatum esse puellae sacrificium etiam Eu-

ripides consentit; a quo tandem? Diserte hoc enuntiat Demophon rex v. 408:

σφάξαι κελεύουσίν με παρθένον κόρη
Δήμητρος, ἧτις ἐστὶ πατρός εὐγενοῦς.

Proserpina igitur hoc tam dirum sacrificium imperavit. Mirum sane: quo numine laeso? Satis est nimirum hoc dicto monuisse: et Polyxenae et Iphigeniae et Menoecei mactandorum causae afferuntur — cur autem in Heraclidarum causa nobilis puellae more imperetur omnino nescitur.

Nempe incolumis apud eum evaserat Copreus. Sed in genuina fama eum „ab Atheniensibus“ occisum esse scimus — in illa igitur, quam Aeschylus sequi debuit, et mors eius causa fuit, cur a deabus Eleusiniis sordidata pompa Atheniensibus imperaretur. Vides quam bene haec inter se concilientur? Deabus Eleusiniis cordi erant praeconum iniuriae; consentaneum igitur fuit Coprei nece Proserpinae iram motam esse eamque tantam, ut nisi virgine immolata placari non potuerit.

VII.

Tragoediae argumentum habemus sane memorabilis Aeschylusque prorsus dignae; a quo cur Euripides desciverit facile intelligitur. Non ea erant tempora primis belli Peloponnesiaci annis, ut Atheniensium in praeconem iniuriae membra aequis animis a spectatoribus recoli posset; hanc igitur sustulit patriae amantissimus poeta, nec tamen adeo sibi constitit, ut etiam virginis immolandae gratum argumentum abiceret.

Sed quonam nomine hanc tragoediam a vetere poeta in scaenam missam putabimus? Scio incertiore esse hanc titulorum indagandorum operam, apud Aeschylum praesertim, cuius indices neque omnes servati sunt et saepe choro tantum accommodati nihil de fabularum argumento produnt: sed non ingratum erit ad certos saltem probabilitatis terminos progredi.

Omnino — si quid video — duo nomina in licium veniunt. Alterum est „Alcmenais“; sed haec neque in catalogo commemoratur et unius Hesychii dubia nititur auctoritate. Confidentius de altero asseverare possum; sed priusquam id afferam, ad Euripidem paulisper redeundum est.

Apud eum enim moritura virgo id sibi cautum vult, ne inter virorum manus mortem oppetat (v. 565):

μή μ' ἐν ἀρσένων
ἀλλ' ἐν γυναικῶν χερσὶν ἐκπνεῦσαι βίον,

cui statim honorificentissime assentitur Demophon. Mirum hoc cupiam videri possit; neque enim Polyxena neque Iphigenia tale quicquam excepit. Et quid id ad nos, qui ne testes quidem eius mortis futuri sumus? Sed hoc ipsum vide ne audacius affirmatum sit. Post Demophontis enim responsum Macaria et Iolaum et ceteros valere iubet; sequuntur ultima Iolai verba (v. 600):

καὶ χαίρει· δυσφρμεῖν γὰρ ἄζομαι θεάν,
ἢ σὺν κατῆρκται σῶμα, Δῆμητρος κόρην.

Quando tandem κατῆρκται? Non potuit hoc evenire nisi inter v. 565 et 600, praesente igitur in scaena Macaria. Scio me eis quae dicturus sum, criticorum risum moturum esse: sed ego Euripidi maiorem habeo fidem quam criticis. Scio igitur post v. 572 Demophontis nutu honestas feminas, sacerdotes scilicet, ad Macariam accessisse interque ceteras caerimonias, quibus victimam exornari decuit, etiam capillos eius ferali more inferorum reginae dedicasse. Quae scaena quantopere spectatorum animos affecerit, quis elegantioris mentis homo ipse sibi repraesentabit.

Sed utut est: fabulae sacerdotes Macariam ultimis curis honoraverunt. Iam fabularum Aeschylearum titulos perlustrantibus occurrit certus sane Ἰέρεια. Quam fabulam sunt qui ad Iphigeniae trilogiam trahant propter fgm. 87 N.:

εὐφραμίετε· μελισσονόμοι δῶμον Ἀρτέμιδος πέλας οἶχειν.

Sed Iphigeniam eiusdem trilogiae fuisse atque Telephum et Palamedem et alii auspicati sunt et ipse disputatione peculiari demonstravi; ut non dicam neque sacerdotes feminas neque Dianae aedem in Iphigeniae fabula locum habuisse; ex ipso fragmento autem si quid colligere placet, memoria tenendum est etiam Athenis in foro, ubi Misericordiae ara stabat Heraclidarum supplicatione insignita, Dianae fuisse aedem. Maioris fortasse est momenti, quod „Sacerdotum“ fabula ab Aristotelis Scholiasta inter eas nominetur, in quibus poeta ultra quam fas erat μυστήρια attigisse fertur — nec mirum, quippe qui et iniuriam deabus Eleusiniis Copei nece illatam et vindictam earum persequi debuerit.

Sed haec aliquatenus probabilia sunt, non amplius; neque confidentius ad illam alteram quaestionem respondere possumus, utrum una tragoedia an duabus poeta Heraclidarum fata exposuerit. Si duabus — „Alcmena“ puta et „Sacerdotibus“ — ita rem instituere potuit. Incipiebat prior tragoedia ab Heraclidarum supplicatione, inter quos Alcmena et Macaria eminebant — hanc ipsam scenam Apollodori pictura exprimebat. Sequebatur vis a Copeo temptata eiusque nex. Tum nuntius de appropinquantibus Argivis, interpretis Eleusinii de sacrificio expiatorio responsum, filiarum Herculis sortitio et Macariae excessus, quam Aeschyleo more minor chorus sub finem fabulae compositus, sacerdotum scilicet, prosequebatur. Hic ipse in posteriore tragoedia maiorem chorum efficiebat; in parodo Macariae mors narrabatur, tum nuntius aderat Hylli victoriam Eurystheique cladem relaturus, post quam ipse Hyllus apparebat tyranni, ni fallor, caput dextra gerens; nam etiam hic apud Euripidem locum rudimentalem agnoscere mihi videor, cum nuntio captum ab Iolao Eurystheum referenti ita respondet Alcmena (v. 879):

ἀτὰρ τί κεύθων Ἰόλεως σοφόν ποτε
Εὐρυσθέως ἐφείσαθ' ὥστε μὴ καταεῖν;

Idem de Hyllo valet non satis commode Iolaum conduplicante et de pugnae loco mirum in modum inter Marathoniam tetrapolin et Megaridem fluctuante. — Tum Heraclidarum futura sors definiebatur, quibus peractis interpret Eleusinius placatas esse deas enuntiabat, ea tamen condicione, ut in posterum tempus ephebi Athenienses sordidati pompam Eleusiniam comitarentur. Exitus autem ita institui poterat, ut hi ipsi ephebi minoris chori προπομπῶν instar sacerdotes Eleusinem prosequerentur.

Iterum moneo me haec neutiquam pro certis venditare; sed de ipsius Macariae morte quaedam non inverisimilia mihi assequi posse videor. Iamdudum animadversum est Macariam apud Euripidem in personarum indice ita appellari, in ipso textu nullo nomine praeditam esse; itidem apud Apollodorum „Herculis“ tantum „filia“ superscribitur, personali nomine non insignita. Nec minus notum est ipsum nomen a fonte tractum esse prope Gargettum profluente. Prior ἀπορία facile mihi solvi posse videtur, si modo mente tenemus Macariae nomen, quippe quod iam V. saeculo mortuam significaverit (v. Rohde, Psyche 283) omnino vivae feminae indi non potuisse: „heroicum“ erat puellae nomen, itidem ut Archemorus Opheltae, Leucothea Inus, quin etiam Dexion Sophoclis. Rem ipsam ita mihi fingo. In ultima oratione interpret Eleusinius Proserpinam pronuntiavit Heraclidarum pietate contentam a caede humana abstinuisse. Herculis filiam vivam ut παρέδρον suam ad se recepisse, eo vero loco, ubi terra eam operuisset, fontem perennem edidisse; proinde ut heroinse ei in posterum sacrificarent, Macariam nuncupantes, deabus autem quotannis epheborum pompam sordidatam mitterent.

Si una tantum tragoedia poeta rem absolvit, „Sacerdotibus“ scilicet, haec eadem in brevius spatium coartata exposuerit necesse est; quod si quis quaerat, quae tum tertia trilogiae tragoedia fuisse potuerit, non inepte de „Philocteta“ cogitare ei licebit. Cum enim admodum sit probabile Poeantis filium in „Heraclidis“ recusantibus ceteris Herculis pyram succendisse — cf. Senecae „Herculem Oetaeum“ — idonea fuit poetae causa cur post Heraclidarum fata etiam ei tragoediam dicaret.

Multo certiore coniectura — id quod rarissime usu venit — quartam tetralogiae fabulam, drama igitur satyriocum, indicare possumus; vix enim aliud esse potuit atque „Praecones“ (Κήρυκες), quod cum Herculis actis coniunctum fuisse fgm. 109 κατὰ τῆς σισύρνης τῆς λεοντέας et 110 πρροσκόρησου λέοντος demonstrant: Herculi igitur fit praekonium — in Coprei persona modo non ipso nomine indicato. Satyros autem „praecones“ quales nobis fingere debeamus Sophoclis Ἰγνευταῖς edocti sumus; Copreus enim cum prae nimia timiditate ad Herculem ipse accedere non auderet, satyris praekonii munus mandavit. Quo quanto cum risu iocoque functi sint, ut in universum repraesentare nobis possumus, ita singillatim persequi harioli non philologi esset.

PATAVII ORIGINES

Oratio septimi universitatis Patavinae
centenarii celebrandi causa in uni-
versitate Varsaviensi habita.

I

Ne cui vestrum, Viri Amplissimi, taedio sit quod homo philologus in hac brevi oratione mea latina utor lingua, reminiscatur velim eam per multa saecula quasi nativam fuisse universitatis Patavinae, cuius nos sacra natalicia post DCC annos recurrentia in hanc aulam convocaverunt, neque alia usos esse nostros cives, Copernicum dico et alios, cum in augusta illa Musarum sede Italos suos commilitones alloquerentur.

Proinde patimini per hoc tantillum temporis — neque enim diu vos moraturus sum — hos quoque parietes linguae eius imaginem resonare, qua cum in communi uterentur homines, faciliore inter se gaudebant commercio ipsique eatenus feliciores erant, quam in hodierna plus quam Babylonica linguarum confusione.

II

Ne tamen sine causa philologam meam sive artem sive naturam professus esse videar, Patavii laudes ab ipsa origine repetere liceat. Quae qualis re vera fuerit, deus aliquis norit: qualis fuisse credita sit, a Livio illo edocemur, quem cum errare negavisset Dantes (*Livio, che non erra*), nobis quoque veniam dedit etsi non semper, non sub severa criticae artis ferula, at aliquando, at per hilarem festorum dierum simplicitatem antiquas res antiquo animo recolendi.

Creditus est igitur Antenor Troianus post patriae expugnatae tempora una cum Henetis ex Asia Minore excitis in agrum venisse Transpadanum ibique Patavium condidisse.

Quod breve commentum quid sibi voluerit et quale praesagium quasi in sinu gesserit si cognoscere volumus, eodem antiquo animo Antenor quis fuerit quibusque virtutibus tam insigne deorum meruerit munus quaerendum est.

III

Nec sane ignobile fuit nomen eius apud Troiani belli scriptores. Cum enim Graecorum legati Menelaus et Ulixes rerum repetendarum causa Troiam venissent, benigne apud eum hospitio sunt excepti. Nec solum hospitio: nam cum levissimae iuventutis furore eo deducta res esset, ut adeo vitae Menelai periculum immineret, Antenoris eiusque filiorum auctoritate et fortitudine

factum est, ut inter minas et arma ius tamen gentium protegeretur. Viderunt igitur Antenoris penates diversarum atque adeo inimicarum nationum cives pacata inter se mente colloquentes, quod primum talis commercii exemplum nobis historia tradit.

Qui cum insuper Helenae reddendae semper popularibus suis auctor fuisset contra insanam Paridis eiusque asseclarum petulantiam, veram eis effigiem praestitit iusti illius pertinacisque viri, quem nullus civium prava iubentium ardor a proposito deterrere posset.

IV

Quorsum haec tendunt? Ut intelligatur una cum Antenore etiam iuris gentium sanctitatem in Italorum terram Patavinorumque civitatem migrasse. Haec scilicet stella nascenti coloniae affulsit: quae num etiam postea adultam florentemque radiis suis illustraverit, posteriores eius res gestae nos doceant.

Nonne enim Antenoreo animo animatam fuisse dicemus civitatem Patavinam, cum ante hos DCC annos universitatem suam conderet? Universitatem dico: sed quotusquisque est, qui verum eumque altissimum huius vocabuli sensum agnoscat? Sensum enim eius duplicem esse communis est notio, alterum mediaevalem quo scilicet „docentium et discentium“ intra eosdem muros communio significabatur, alterum novicium, quo id nunc accipere solemus, cum de „universitate litterarum“ loquimur. Verum si Patavium respicimus, tertius nobis sensus apparebit, is ipse quem modo verum eumque altissimum dixi. Tot enim undique eo convenerunt studiosae iuventutis agmina tamque legitimus ubique ardor fuit nusquam nisi Patavii reconditas scientiarum notitias accipiendi, ut apud nos dumtaxat etiamsi quis in alia Italorum academia doctoratus lauream accepisset, Patavinus tamen doctor non hercle invitatus appellaretur. Quare nostro iure dicere possumus „gentium universitatem“ Patavii conditam esse. Sanctissimum humanitatis asylum, quo vel belligerantium populorum cives, commeare poterant, ea quidem lege, ut ne aut ipsi quemquam laederent, aut invicem a quoquam laederentur.

V

Gentium, inquam, universitas per tot saecula Patavium illustravit digna Antenore parente heres, quem ipsum quoque inimicas gentes iuris sanctitate conciliasse vidimus. Neque degeneravit ab illa Antenorea magnanimitate hodiernus academiae Patavinae affectus. Quae cum post tristia belli tempora postque effrenatae barbariae libidines omnium prima ad origines suas celebrandae mundi nationes convocasset, quanti quamque concordis undique facti essent concursus, admirabunda mente comperimus.

Hic vero unanimis in amore testificando consensus non sola Patavinae academiae auctoritate, licet et ipsa maxima sit, explicari posse videtur. Immo residet in hominum mentibus penitus infixam Antenorei illius animi veneratio, qui et per praeteritorum annorum seriem Antenoreae urbis moenia hospitibus aperuit, et insuper longinquos nepotes intra eadem moenia ad hospitalitatis gratiam persolvendam revocavit.

Hic igitur Antenoreus animus ut etiam per futurum tempus fideliter, ut fas est conditorem, apud Patavinos remaneat optamus — si modo optanda sunt ea quae certo eventura esse scimus.

Varsaviae a. d. III Idus Iunias.

TH. ZIELINSKI
professor Varsaviensis.